Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Hortvs Ciceronianvs sive Flores Apophthegmatum & Historiarum e Scriptis Ciceronis in Vsum & delectamentum Studiosae pubis excerpti

Omeis, Magnus Daniel

Norimbergae, 1699

42. Simson

urn:nbn:de:bsz:31-105410

Visual Library

init, fide vincit, civitates viginti ſubigit. Voto temerario filiam unicam devovet, luctum ingentem omni populo excitat, ſeqve prole optatiſſima orbat. Idem Efraimitas nobilitate ſua ſemper inſolentes & importune moleſtos coërcet: qvi cum ei bellum non neceſſarium indicerent, duo & qvadraginta ex iis proſtravit hominum millia. Rerum potitur annos tantummodo ſex, conſilio & fortitudine, non minus hoſtibus, qvam ſociis metuendus.

42. *SIMSON.*

Simſon Manoæ filius, prædicitur ab angelo futurus vindex populi, & Deo ſacratur adhuc in utero materno. Robore giganteo fuit: ſed qvi telis armisve vinci, & vinculis conſtringi nullis potuit, victus voluptate eſt. Vxorem duxit Philiſtinam, illu-

illuſus a ſponſa, triginta Aſcalonitas interimit: repudiatus a ſocero, ſegetes Thamnatenſium caudis vulpium colligatis inflammat: mœnibus Gazenſium incluſus, portas urbis cum vectibus aſportat. Catulum leonis inermi ſibi occurrentem manibus diſcerpit: aſini maxilla mille viros interimit; ex oſſe belluæ aqvam precibus elicit. Amore Dalilæ inſanus, ejus blanditiis effeminatur, inſidiis frangitur, avaritia proditur. Captus, privatur oculis: vinctus in piſtrinum traditur: damnatus capitis a Gazenſibus aſſervatur. In convivium, in qvo cum uxoribus & liberis ſatrapæ accubuerant, ſpectaculi cauſſa productus, fide Deum invocat, prehenſisqve columnis, qvibus porticus innitebatur, eas evertit; morienſq; plures ſecum occidit, qvam vivens antea occiderat: perierunt enim illa ruina nobiliſſimorum ſexus utriusq; homi-

hominum tria millia. Fuit cum auctoritate annos viginti. Vnus ſe Philiſtinis omnibus oppoſuit: neqve machinis aut exercitu, ſed manu ſua ſolus pugnavit, & victorias admirandas retulit, omnibus formidabilis, ſuo populo ſalutaris. In ejus vita Chriſti imago adumbratur, qvi etiam moriendo hoſtes ſubegit & oppreſſit.

43. *HELI Sacerdos.*

Heli de ſtirpe Ithamaris, qvarti Aaronis filii, in Silone habitavit, & officio ſacerdotis atqve ducis functus eſt. Confectus ſenio Eccleſiam committit filiis, turpibus & nefariis adoleſcentibus, de qvorum flagitiis cum multa audiret qvotidie, oratione caſtigatos emendare non potuit: vinculis legis coërcere, aut ab officio removere, non ſuſtinuit. Monitus a propheta, objurgatus a miniſtro

Samue-